


kem 702(1-7)

700

605







7

ORDINIS MEDICI  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSIS  
H. T.  
**PRO-CANCELLARIUS**  
**D. CHRISTIANVS GOTTLIEB**  
**LV DWIG**

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. FACULTATIS MEDICAE  
DECANVS ACADEMIAE DECEMVIR COLLEGIORVM  
MAL. PRINCIP. H. T. PRAEPOSITVS ET BEAT. MAR.  
VIRG. COLLEGA ACADEMIAE REG. BORVSS.


SCIENT. SODALIS

**PANEGYRIN MEDICAM**  
AD DIEM VIII DECEMBER. A. O. R. MDCCCLVIII.

I N D I C I T

E T

MONITA DE EXSCINDENDIS TUMORIBVS  
TVNICA INCLVISIS PROPONIT.





**E**a est corporis animalis sani conditio, ut particulas humorum vitiatas, si quae forte irrepserint, per consuetas secretiones iterum dissipet et eviciat; quo usque enim solidorum vis et actio in vigore circulationis et motu muscularorum integra deprehenditur, eo usque labes humoribus illata, altas vix agere potest radices. Motus febrilis quoque ab ipsa natura non raro excitati efficacia crudos sive male mixtos humores agitat et circulatione auctiore redditam coctionem praefstat, quo vicia humorum vel valida crisi vel lenta lysis dissipentur, et corpus prorsus sanum restituatur. Equidem in his casibus metastasis non raro coctionem et crism quodammodo turbat, non semper tamen criticam evacuationem prorsus infringit, sed ea ex voto succedente, quaedam tantum reliquiae materiae morbosae non prorsus discussae remanent et congestionibus sic dictis anfam praebent: Et in chronicis praecipue morbis, ubi humores vitiati sunt et, ob defectum febrilis motus, difficile expelluntur, in accurata etiam medendi via obseruata, quaedam particulae clanculum subsistunt, et, nisi sensim et successive eliminantur, noua incommoda inducunt.

A 2

De

## III.

De his fusius non dicam, cum in dissertatione erudita de scabie artificiali hodie proposita, varia, quae huc spectant, monita egregie pertractentur. Id saltim monebo, vitiatis quoque humoribus correctis et noxiis ex corpore expulsis, saepius ad exiguum eiusdem partem, in primis ad caua contextus cellularis, ad radices pilorum, ad glandulas praecipue congregatas, serum plus minus vitiatum et inspissatum, ideoque ad resorptionem ineptum congeri, quod caua extendit folliculum sibi format, et pro differentia coacti et concreti humoris hydatidem, meliceridem, atheroma vel steatoma sistit. Quod si itaque humor vitiatus ad talem folliculum accedat, a venis vero resorberi nequeat, nec mutatio a viribus corporis expectanda, nec discussio per applicata medicamenta praestanda erit, accidente potius pressione et agitatione repetita per motum partium inducta, tumor velamento inclusus incrementum, et vel mole sua, vel immobilitate partium, quibus adiacet, tantum saepe affert incommoda, ut eius extirpationem urgeant, quae, si ille in partibus cuti vicinis collocatur, facile perficitur.

Hi quidem tumores euacuantibus medicamentis nunquam commouendi, nec cute attenuata erupta et incisa, aperiendi sunt; ipsa enim discutientia remedia, quae in minoribus tumoribus, in quibus nimirum materia mobilis reddenda et ad resorptionem disponenda est, interdum prospero cum successu applicantur, haud raro incrementum accelerant, praesertim si crebrior frictio, quae alias discussionem humorum stagnantium iuuat, simul adhibetur. Materiam itaque contentam quovis modo emittere, folliculum relictum causticis remedii inflammare, et digerentibus suppurationem mouere, in minoribus, quos discutere tentamus, tumoribus interdum succedit; in maioribus nunquam cum fructu id suscipi experientia docuit: unicum iraque et praefantissimum remedium est tumorem



V

tumorem excindere, quod tamen maxima cum cura et attentione fuscipendum erit. Quamobrem in prolusione hac academica monita nonnulla de excindendis tumoribus tunica comprehensis exponere mecum constitui, in primis cum extirpationem glandularum conglomeratarum et induratarum, communi velamento coniunctarum, a scabie retropressa, ut videtur, ortarum, olim in Cl. Candidato suscep tam, et primo quidem intuitu difficilem, immo impossibilem visam, postea tamen exoptato cum successu praefitam, paucis descripturus sum verbis.

Ante omnia quidem monendum est, hos tumores, si paruuli sunt, saepe sine multo labore et incommodo auferri; eorum itaque augmentum sedulo obseruandum est, ne successive in nimiam molem increaserant, et, protracto auxilio per efficaciem chirurgiam facienda extirpatio longe difficilior, immo prorsus impossibilis reddatur. Hoc quidem in primis in eo casu attendendum erit, vbi basis tumoris lata deprehenditur, et ita in ambitu magis magisque extenditur. Saepe enim, si eius superior pars cutem non nimium extendit, is profundius se dimittit altioresque radices agit, quae sine metu laesionis partium subiectarum scalpello vix tanguntur. Licit enim experientia doceat, arterias ad tumorem deductas vel in eius confiniis excurrentes, ob compressionem quandam non nimium extendi, venae tamen vicinae, ob hanc ipsam compressionem nonnunquam varicosae sunt, et, ut ob denegatum resorptionem continuum tumoris incrementum efficiunt, sic chirurgum quoque in operatione praestanda non raro confundunt; quippe qui sanguinem effluentem non satis coercere, neque scalpelli directionem, et partes vicinas rite discernere potest, ideoque errorem committit, quem in minore tumore facile evitasset.

## VI

In tumore etiam nimium aucto cutis insigniter tenditur, et ideo vitiata, vel callosa vel nimis attenuata redditur, quam ob causam illa etiam, post tumorem apte excisum, non, ut decet, inducitur, et cicatrice aequali coalescit. Ad artem igitur feliciter et tuto exercendam optandum esset, ut aegri consiliis medicorum magis obdarent, quo in principio incrementi tumoris tunica inclusi separationem manu chirurgi praestandam, utpote summe necessariam, permetterent, nec in casu dubio leuiora vitae incommoda euitare intenderent, cum sub incremento vel difficiilius vel impossibile reddatur auxilium: sed qui lanceolae iustum in venae sectione timent, et in increscente malo adhortationem medici et chirurgi negligunt, morbum ab initio facile remouendum cum incommodorum augmento deinde relinquunt.

Attentio autem maior omnino in excindendis tumoribus requiritur, si sedes corum in pericranio est, si glandulae vicinae adhaerent, si arteria et nerus vel alia pars pressius iisdem adiacent, tunc enim vix caute satis scalpellum dirigere potest chirurgus, ne laeso velamento materia contenta, si forte tenuis est, effluat, ne partem tumoris in loco difficulter medicamentis in primis causticis posita non facile tangendo relinquat, ne partes ipsas suppositas incisione laedat. In parte nimis capitis capillata sedes pilorum profundior et contextus adiposus densior est, ita, ut tumor in hoc natus, non raro cum membrana epicrania et pericranio ipso fortius coalescat. Ad glandulas quoque crebrius oriuntur vel, ut infra ostensuri sumus, glandulae ipsae in eiusmodi tumores mutantur, circa has enim lymphaticorum vasorum copia est, quae in motu lymphae varie cohíbito, vel huius indole vitiata, tumoribus his generandis ansam praebent.

Evidenter scirptionis nostrae ratio haud permittit, ut quaestionem moueamus: Num vasa lymphatica ipsa obstructa et

et distenta in eiusmodi tumores mutari possint? Breuiter tamen ostendam, vasa lymphatica, licet distenta, paruulas quasdam vesiculas sive hydatides, visceribus internis interdum adhaerentes, formare possunt, nunquam tamen magnas, multo minus tumores tunica inclusos sistere: in his enim generandis cauum requiritur, quod congestionem humoris vitiati admittit, resorptionem tamen, quam in principio respectu tenuioris laticis concedit, in progressu vero et augmento impossibilem reddit, qualia in contextu cellulari tantum admittuntur et inueniuntur. Quaecunque autem sit formationis ratio, lymphatica tamen vasa circa haec caua excurrunt, et motu humorum interdum impedito, stases efficiunt et augent. Quod si vero pars glandulae, cui tumor tunicatus proximus est, in se vitiata non sit, ob sui tamen compressionem, liberum circuitum humorum vterius non experitur, sed saepe intumescit, quo in casu, cum omnes glandulae contextu aliquo cellulari cingantur, hic callosus redditur et ita cum velamento tumoris coalescit, ideoque huius separationem difficultorem reddit.

Longe maior redditur chirurgi labor, si tumores, in profunda fede haerentes, arterias et neruos maiores proximos habent, in primis si arctius iis accreti ex feda sua eleuari haud possint; si enim hoc ad vasa maiora v. c. sub alijs brachii excurrentia, accidit, tutius est tumorem relinquere, quam extirpare; si vero minores arteriae, quae ad hanc partem tantum feruntur et sine metu haemorrhagiae lethalis discindi possunt, occurunt, tunc sanguinis effusio, antequam separatio prorsus absoluatur, chirurgo impedimento erit, qui ideo de compressione vel alio auxilio sollicitus sit, antequam ad operationem accedat, ne in ea perficienda nimium confundatur. Idem obseruandum est, si tumor ad alias partes v. c. ad musculi membranam vel tendinis vaginam firmius adhaeret, vbi quidem his partibus, quantum fieri potest, parcendum est, sa- tius

## VIII

tius tamen semper inuentum fuit, easdem laedere, quam particulam tumoris firmiter adhaerentem relinquere.

Quando itaque adhaesiones ad partes circumiectas atten-dimus, chirurgia quidem docet, tumores hos, in contextu cel-lulofo laxius haerentes, magis deglubendos, quam exscinden-dos esse; non semper tamen succedit ea operationis ratio. Si enim contextus cellulosis parcior, densior et tenax est, a se-de sua difficile eleuator et vix tantum spatium exhibet, quo inter partem separandam et relinquendam scalpellī acies pene-tret, tunc, licet aeger doloribus diutius afficiatur, prudentia tamen chirurgi festinationem prohibet; nec enim de illis, ne-que de sanguinis profluvio, adeo sollicitus esse tenetur, quam de tumore ipso penitus exscindendo. Si materia tumoris flui-dior est, et folliculus ideo facile cedit, difficilior redditur la-bor; illius ideo, laeso velamento, facta effusio sollicite pre-cauenda est.

Ex his facile concluditur, etiam ad radices tumoris ma-gna cum cura respiciendum esse. Contextus nimirū cellularis in sano quoque statu non aequali ratione extendit, sed membranis diuersimode actis in partes subiacentes continua-tur, quo inter illas excurrat et strata musculosa apte disponat. Ibi etiam, vbi vasa sanguifera emergunt et in adipem infun-dunt, radices quasi sunt, quae in statu morboſo deniores euadunt. Si itaque tenacior radix, a velamento tumoris depen-dens, deorsum agitur, illa attentius exstirpanda est, quae res ob haemorrhagiam digitis magis, quam oculis perquirienda est, ne reliqua radicis pars iterum excrescat, et vel tumorem no-uum procreet, vel cicatricem superinducendam impedit.

Alia quidem monita de folliculo non laedendo, de fun-do caui, ex quo tumor eductus fuit, accurate disqurendo et depurando, de incremento carnis fungosae coercendo propo-nenda restant, sed praecipua momenta ideo tantum praemisi-mus,



## VIII

mus, quo casum tumoris tunicati, in Cl. Candidato ante hos nouem annos feliciter exstirpati, breuiter enarrare queamus. Ut vera fateamur, tunicatus quidem tumor in strictiore sensu sumptus non erat, sed congeries glandularum conglobatarum sive lymphaticarum induratarum, quae in dextro latere ex medio circiter collo, a parte posteriore anguli maxillae inferioris, super parotidem glandulam vsque ad confinia auriculae exten-debatur. Cum autem tumoris tunicati essentia non in materia contenta, sed in velamento circumducto posita sit: cum circa glandulas eiusmodi induratas contextus cellulosus maxime callosus reddatur: cum vnicum corpus, licet inaequale et eminentiis quibusdam conspicuum, constituat; cum ideo in excindendis iisdem ea certe monita, quae in tumoribus vere tunicatis adduximus, attendenda sint, traclationem huc reduci posse arbitramur. Accedit insuper et ea ratio, quod glandulae lymphaticae, in collo puerorum tumefactae et interdum scirrhosae redditae, saepius non nisi steatomatosam quandam materiam, induratae pinguedini similem contineant, id, quod in cadauerum sectionibus et in nostro tumore excisso accurate perspeximus.

Tumor itaque ex collo ad auriculam vsque extensus, sub cute tensa collocabatur, et, cum glandulae maxillari ad angulum maxillae positae adhaereret, eamque et inferiorem parotidis partem ita premeret, vt, circulatione humorum non libere satis praefixa, et ipsae non nihil tumidae apparent, ferme immobilis inueniebatur. Ob has causas dubii haesimus diu, an sine laesione arteriarum et glandularum vicinarum morbosum tumor excisci possit? BREVERVS vero noster, Chirurgus in arte facienda versatissimus, omnibus, quae occurrere poterant, impedimentis semel iterumque persensis, se exstirpationem suscepturnum esse promisit.

B

Cutis



Cutis itaque consueta ratione adducta, in inferiori tumoris parte, transuersim, sed non nihil sursum, incuruo ductu incidebatur, et integumenta communia super tumorem separabantur. Licet enim satius fuisset, ab aure versus collum descendendo incisuram super tumorem ipsum addere, eandemque in forma literae T inuersae praestare: praeter foedam tamen cicatricem, quam chirurgus omni modo euitare tenetur, eo in casu, vbi cutis super tumorem nec distenta nimis nec vitiata est, incisio augenda vel multiplicanda non est. Huc usque constantia chirurgi et aegri nondum tentata fuerat; sed, cum, lateribus tumoris separatis, firmior eius adhaesio ad glandulam maxillarem appareret, et vicinae arteriae ex labiali HALLERI oriundae, quae maxillarem externam WINSLOVII sistunt, tangendae essent, maior omnino cura requiebat. Ob adhaesionem enim tumoris ad glandulam maxillarem ramus maior arteriosus ad eandem tendens euitandus erat, qui, si laesus fuisset, magnam et difficile fistendam haemorrhagiam induxisset, minime tamen ramum ipsum, sed eius tantum propagines, per glandulam dispersas, laefas fuisse remoto tumore, perspexit, ob multorum tamen ramulorum dissectionem riuuli sanguinis continuo ferme fluebant, compressione vix coercendi. Interim non festinandum erat, quo inter secundum digito tangentili limites inter tumorem excindendum et partes vicinas paterent. Vigor et constantia adolescentis sub effluxu aliquot librarum sanguinis non compescendi, persistebant, qui potius, nulla lipothymia fractus, dolorem moderato ciuylatu leniebat, donec post duodecim circiter horae minuta tumor prorsus remoueretur, qui ex tribus glandulis congregatis mole austis, ex sphaerica figura in depresso mutatis et velamento communi condensato comprehensis, constabat. Hic in extensione supra descripta longitudinem trium, latitudinem quatuor, et crassitatem in media parte duorum citer

citer pollicum referebat. Caui ipsius fundus, ut decebat, vix disquirendus erat, cum ob haemorrhagiam insignem illud lin-  
teo carpto replendum esset, sanguinis enim profusionem hoc solo auxilio fisti posse ideo sperabamus, quod locus satis aptus erat, cui fascia compressionem iuuans, apponi poterat, nullis etiam symptomatibus superuenientibus, cum tenui tantum iu-  
sculo et parcus quidem exhibito, aeger nutririatur. Quarto tandem die fascia soluta fuit et suppuratione iam ex voto suc-  
cedente, thrombus, profusio sanguinis oppositus, apte se-  
cessit, noua haemorrhagia non inseguente. Disquisito nunc  
demum fundo caui, duriores quedam partes tactui se offere-  
bant, quae metum recrudescens tumoris iniiciebant, accura-  
tiore tamen examine instituto, cognouimus, parotidis et  
maxillaris glandulae, nec non glandularum congregatarum in  
vicinia collocatarum, tumores superefi, qui pressione cessante  
et suppuratione egregie succedente, dissipabantur. Haec qui-  
dem omnia non subito, sed successive demum eueniebant,  
vulnere enim iam clauso et cicatrice formata, intumescentes  
quaedam glandulae remanebant, quae tamen, circulo humo-  
rum sensim paulatimque restituto, moliores et iaturalibus si-  
miles reddebantur. Particulam quandam maxillaris glandulae  
sektione ablatam, tumori exscisio adhaesisse, supra retulimus,  
sed et hac ex parte nulla impedimenta aptae coalitionis reman-  
sisse, perspeximus, omnium potius partium vera proportione  
reddita, et contextu adiposo sufficienter se extendente, nulla  
deformitas obseruata fuit, cicatrice vere transuersa ad pollicis  
distantiam ab angulo maxillae inferioris in dextro colli latere,  
formata. Felici adeo operationis successu excitatus, adole-  
scens humanioribus literis diligenter colendis se dedit et impe-  
dimentis variis, quae angustia rei familiaris ipsi obiecerat, fe-  
liciter superatis, absoleto studiorum siorum cursu, nunc ad  
summos in arte medica honores capessendos progreditur.

Publice ideo commendandus est

VIR NOBILISSIMVS ATQVE CLARISSIMVS

D O M I N V S

CHRISTIANVS GOTTL

Z I E G E R

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

cuius vitae hic vsque cum laude actae summam eo lubentius exhibemus, quo magis artis nostrae cultores egestate pressi inde cognoscant, angustiam rei domesticae diligentia et morum probitate egregie leuari.

Natus fuit Noſter Oelsaitii Variforum, anno huius ſeculi trigesimo quarto, patre **I OHANNE GOTTL**OB qui rei militari addictus a gregario milite ad subcenturionis gradum aſcendit, et tribuni militum in exercitu faxonico, Generofiffimi Domini **DE CROU SAZ**, παγασάτης in praelio ad Strigoniū Silesiae oppidum, anno quadragesimo quinto huius ſeculi occiſus fuit. Hic noſtrum ex matre **I OHANNA BLANDINA**, **I OHANNIS KOBA**, mercatoris quondam Lipſienſis, natione Dani, filia progenuit. Optimi parentes in tenebra quidem aetate curam filii habuerunt, sed matre post quadriennium mortua, et patre eo tempore caſtra ſequente, curam educationis in ſe beneuole fuſcepit matris foror natu maxima, Noſtrumque tantis in hunc vsque diem benefiis cumulauit, quanta ab iſis parentibus vix expectare poterat. Eius itaque conſilio anno huius ſeculi quadragesimo ſecundo Langendorfum prope Leucopetram missus fuit, quo in Orphanotrophio ibidem conſtituto fundamenta religionis christiana,

## XIII

stianae, literarumque rudimenta addisceret; post quatuor annos tamen singulari GOTTHILF AVGVSTI FRANCKII S. S. Theol. Doct. benevolentia in Orphanotrophium Halense exceptus, atque non solum ibidem nutritus, sed ab optimis quoque praceptoribus formatus fuit, ita, ut christiana fidei vera fundamenta et humaniores literas haud interrupto studio coleret atque perficeret. Laudat praeccipue industriam Cl. FISCHERI nunc Gymnasi Halensis Collegae et Cl. BOETTICHERI in orphanotrophio rei librariae Inspectoris, qui Nostrum benigne semper exceptit et fidelissimis consiliis adiuuit. Ita praeparatus anno quinquagesimo secundo huius seculi a D. CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS in album Academiae Halensis inscriptus, de studiis altioribus tractandis sedulo cogitauit. Dubius vero diu haesit, num Medicinam, an Theologiam, excolendam sibi eligeret? Prius enim naturalis quaedam propensio et grata recordatio accepti ab efficaci chirurgia auxilii exigere, rei tamen familiaris angustia alterum vrgere videbatur. Theologiae igitur addiscendae operam daturus, doctrinas philosophicas et mathematicas a WEBERO, practicam autem Philosophiam a L. B. DE WOLFF, graecas et ebraicas literas a STIBRITZIO et MICHAELI accepit, et in omni theologia et historia ecclesiastica et BAVM GARTIVM et KNAPPIV M praecessores habuit. Nunquam vero satis supprimere poterat propensionem ad artem salutarem colendam; hanc ob causam sub finem anni quinquagesimi tertii huius seculi Lipsiam accedens, et a SIEGELIO Rectore Magnifico ciuibus academicis adscriptus, medicinae addiscendae totum se dedit. Praeceptores sibi itaque elegit doctissimos fidelissimosque WINCKLERVM in physica theoretica et experimentali, WOODIVM in lingua anglo-saxonica. In tractandis vero me-

B 3

dicae

## XIII

dicae doctrinae partibus IANCKIUS osteologiam; BO-  
SIVS botanicam, anatomen, physiogiam, diaietetiam,  
materiam medicam, et exercitia quaestiones dubias eno-  
dandi; HVNDERTMARKIUS chemiam, pharmaco-  
logiam, morborum chronicorum historiam, et metho-  
dum morbis grauidarum, puerarum et infantum me-  
dendi; PLAZIVS historiam artis medicae tradiderunt.  
QUELLMALTZII institutione in pathologia, H E-  
BENSTREITII vero in therapia generali, materia me-  
dica selecta, chirurgia et medicina forensi usus est, et  
huius quoque lectionibus eruditissimis Celsianis intersuit.  
Mea quoque consilia in ordinandis studiis suis semper sequi-  
tus est, mihiique animum discendi cupidum variis modis  
demonstravit, et in lectionibus meis se semper auditore  
attentum praefitit, cum physiogiam experimentis  
chemicis declararem, cadavera secarem et vniuersam  
anatomen per partes exponerem, cum pathologiam,  
therapiam generalem, et praxin clinicam docerem, cum co-  
gnitionem librorum medicorum traderem et exercitia dis-  
putatoria et examinatoria instituerem. In hac vero stu-  
diorum tela feliciter pertexenda, rei familiaris angustia  
multis modis levata fuit, et prouidentiam diuinam ob-  
egregia beneficia haec tenus accepta supplex veneratur Cl.  
Candidatus. Non enim tantum stipendium Waltherianum  
secundum forte obtinuit, et conuictoribus mensae Gey-  
eriane adscriptus fuit, sed etiam Patronos et Fautores  
nactus est, qui eundem beneficiis adiuvuerunt: in quibus  
in primis Trieriam Winckleriamque domum laudat, qui-  
bus itaque pro collatis in se beneficiis publicas grates de-  
cernit et Praeceptorum Patronorumque memoriam pio sem-  
per pectore se conseruaturum esse spondet. Tantis igitur  
munificentiae documentis excitatus artem salutarem diligen-  
ter



ter excoluit et variis academicis profectuum experimentis se  
subiecit. Mense Iulio superiori anni theoreticum examen  
fusnuit et Baccalaurei titulo dignus inuentus fuit, mense  
autem Septembri cum Cl. K E R S T E N S A. M. nunc  
Prof. Med. Moscouiensis, philosophicam cathedram ascen-  
deret et dissertationem *de maturatione ut causa perfectionis*  
*corporum organicorum* defenderet, Nostrae respondentis  
partes fusnuit. Mense Martio huius anni oratione publi-  
ca memoriam Geyerianam recoluit, et medicinam ab *accu-  
sationibus recentioribus cuiusdam et illustris scriptoris vindicauit.*  
Mense Augusto lectiones cursorias pro Licentia dictas de  
*Lithogenesi in viis vrinariis medicamentisque lithontripiti-  
cis* habuit, et tandem mense Octobri examen rigorosum  
et practicum subiit, in eo RECITE respondit, et nostrae  
expectationi ita satisfecit, vt dignum eundem iudicemus,  
cui Licentia artem salutarem exercendi et Doctoris titulum  
et iura affequandi tribuatur. Dissertationem itaque inau-  
guralem d. VIII. Decembribus de *Scabie artificiali* sub Praesi-  
dio Collegae Excellentissimi Dn. D. HVNDERT MAR-  
KII Anat. et Chirurg. P. P. O. publice defendet. Ego  
vero ad hunc actum constitutus Procancellarius, finito  
conflictu in solenni panegyri *ideam veri inuentoris in scientia  
naturali et medicina oratione explicabo*, et Cl. Candidato,  
quem semper amore prosequutus sum, Licentiam summos  
in arte nostra honores et titulos acquirendi tribuam, eum-  
que additis piis votis ex scholis nostris dimittam. MA-  
GNIFICVS itaque ACADEMIAE RECTOR, CO-  
MITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE  
REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI  
nec non GENEROSISSIMI atque NOBILIS-  
SIMI DOMINI COMMILITONES rogandi  
sunt,

XVI

sunt, vt hunc actum praeſentia ſua ſolemniorem reddant,  
et Ordini noſtro, Cl. Di. Candidatō et mihi faueant. Nos  
omnes vero hanc benevolentiam grato animo excipiēmus.  
Dabam Lipsiae Dominic. I. Aquentus d. III. Dec. A. O. R.


M D C C L V I I .

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.








220

W 78  
PICA





7

ORDINIS MEDICI  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSIS  
H. T.  
**PRO-CANCELLARIUS**  
**D. CHRISTIANVS GOTTLIEB**  
**LV DWIG**  
THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS MEDICAE  
DECANVS ACADEMIAE DECEMVIR COLLEGIORVM  
MAI. PRINCIP. H. T. PRAEPOSITVS ET DRAE. M.  
VIRG. COLLEGA ACADEMI  
SCIENT. SODA  
PANEGERYRIN M  
AD DIEM VIII. DECEMBER. A.  
INDIC  
ET  
MONITA DE EXSCINDEI  
TVNICA INCLVISIS P

